


1718, 16

19

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JOANNES PHI-
LIPPUS  Streit/
JCTUS,
CONSILIARIUS REGIMINIS
ELECTORALIS,

B. L. S.



ERFORDIÆ,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,
ACAD. TYPOGR.

MAJESTATIS JURIDICAE
DECANUS
JOHANNES PHI-
LIPPUS STEIN-
METZ
CONSILIARIUS REGIUM
ELECTORALIS

A. L. E.

EX LIBRIS
JOHANNIS HENRICI GROSCHNER
ACAD. TYBURI





Inculum Justitiæ est Veritas & Fides, quibus veluti nervis sustinetur. *Cic. I. de off. sed illa sæpè hæret in angulis, sedet in latebris, sepulta noctibus, involuta tenebris. Raræ sunt copiæ, exiguus bella-*

latorum numerus, qui sequuntur castra Veritatis. Nec mirum, Veritas odium parit, Veritas amara est, rugosæ frontis, ac tristis, offenditque. S. Hier. l. 1. adv. Pelag. illa suos sequaces, periculis. mortibus, gladiis, securibus objicit: illa sub Alexandro Magno Callistenem damnavit ad caveam, illa gravissimum Juris-Consultum Papinianum è medio sustulit: illa Socrati cicutam propinavit: illa Praxapfin filium Cambisis arcui in scopum opposuit. Etiam illi, qui in Veritatis verba jurasse se venditant, sæpè terga vertunt, & signa veritatis deserunt. *Veritas, inquit Cornelius tacitus, pluribus modis infringitur, primùm inscitâ Reipublicæ, vi alienâ, mox libidine assentiendi, aut rursus odio adversus dominantes.* Manet tamen verum, quod Vinculum Justitiæ sit Veritas, quæ mendaciorum procel-

) 2

lis

lis obruta mergi aliquamdiu potest, non submergi:
multorum enim improbitate demersâ Veritas emergit: Tullius pro Cluent. inquit, *obscurari, eclipsari aliquando potest lux Veritatis, extinguere non potest.* Incursari potest, pulsari potest adversis fluctibus, everti non potest, est enim bonum perenne, Triumphatrix temporis, Filia Æternitatis: cui aperiendæ & in lucem proferendæ tempus laborat; Veritatem dies aperit. Falsitas suâ sponte ruit, quippe nullo nixa fundamento. Sed veritas, ais, odium parit. Ad hoc acutè respondet Augustinus, illud odium non tam esse odium, quàm Amorem Veritatis. Cur, inquit, *Veritas odium parit, nisi quia sic amatur Veritas, ut quicumque aliud amant, hoc, quod amant, velint esse Veritatem, & quia falli nolunt, nolunt convinci, quod falsi sint.* Medicina in herbis, in verbis Veritas & Justitiæ virtutem habet maximam; ut sua stet Fides promissis ac pactis, utque ad amissam Justitiæ res ipsæ verbis æquentur, necesse est, ut prius ad Veritatis normam verba menti, mens verbis respondeat. Quàm turpiter eluduntur sacra Astrææ jura, temeratur jurisjurandi religio, evertitur autoritas Tribunalium, ubi falsitas ludos instruit? cum nempe simulatio ludit in verbis, & laxat habenas mendaciis, variisque flagitiis viam ad impunitatem aperit? ubi falsitas intrat, abit confestim prisca fides, Astræa cælos repetit, quia non invenit, ubi securum figat vestigium. Certè magna damna Justitiæ Sanctitas patitur à Veritatis contemptu, sed non minora ab aperta violentia. Quemadmodum igitur

tur nihil in Republica sanctum, nihilque tutum esse potest, remota Justitia: sic omnia misere perturbari consentaneum est, si vi & metu magis, quam bona fide inter se homines agere ceperint; Id contra bonos mores, atque exinde adversus ipsam humanæ societatis salutem esse non obscure Juris-Consultus innuit in *L. 116. ff. de R. J.* & simul attestatur, bonæ fidei summam esse, tum in privatis negotiis moderandis, tum in tota Republica gubernanda utilitatem & dignitatem. Quamvis autem in dictâ lege habeatur, quod *nihil consensui tam contrarium sit, quam vis atque metus*, actus tamen metu gestus, tamen non sit absolute spontaneus, est tamen simpliciter voluntarius. Hinc enatum proverbium, quod etiam coacta voluntas sit voluntas. *L. 21. § pen. ff. quod met. caus.* Neque enim fieri potest, ut in actibus suis elicitis vim absolutam sustineat voluntas. Violentia enim absoluta illa dicitur, quæ ita provenit ab extrinseco, ut passum nihil planè conferat: hoc modo autem cogi non potest voluntas. Vel enim elicio volitionem, ad quam vis ordinatur, vel non. Si prius, evidenter consentio, adeoque vim absolutam non patior. Si posterius, vana & inutilis coactio. Provenit tamen quandoque metus à causa necessaria, quandoque à liberâ, ab illa, si proveniat, nullum contractum reddit irritum, aut rescissioni abnoxium. à causa libera proveniens, sed injustè incussus levis, itidem nullum contractum reddit irritum, aut rescissioni abnoxium; quod itidem affirmatur de metu gravi & injusto, non incusso tamen ad extorquendum

contractum. Affirmatur itidem de metu gravi, ad extorquendum contractum injustè incusso, si post sui valorem rescindi possit. *L. 5. §. 1. L. 4. 5. & 6 ff. quod met. caus. L. 2. §. 1. Ex quib. caus. major. L. 5. Cod. de Transact.* in quibus locis traditur, contractum metu gravi & injusto initum, restitutioni esse obnoxium: ergò ipso jure tenet, quia actus ipso jure irritus non eget restitutionis auxilio. Verùm disceptatur, an metus gravis ac injustè incussus, contractus, post sui valorem amplius non rescindibiles, ipso jure naturæ, num verò lege duntaxat humanâ, reddat ab initio nullos ac invalidos? probabilior videtur sententia, quæ hujusmodi contractus ipso Jure Naturæ censet irritos; talis enim irritatio ex una parte nulla post se trahit specialia inconvenientia: & ex alterâ servit metum passo, ut ne innocens damnum, nullâ industriâ suâ declinabile, teneatur subire; rectè igitur concluditur, id genus contractus ab ipsâ naturâ irritos constitui; aut certè fateamur, necesse est, naturam indemnitati eorum qui injusto metu coacti contractus tales iniverunt, non sufficienter prospexisse, ac per consequens in defendendâ innocentiam defecisse. Neque dicas naturam jam aliunde metum passo sufficienter prospexisse, tum quod ejusmodi contractus reddiderit illicitos: tum etiam, quod Legislatori humano potestatem dederit, illos legibus suis ipso jure irritandi, neutro enim remedio indemnitati metum passi sufficienter est suspectum; non obstante enim, quod natura ejusmodi contractus effecerit illicitos, tamen insuper

per jus positivum de facto illos duxit irritandos, evidens itaque signum est, nudam eorum illiciditatem non visam fuisse defendendæ innocentiaë sufficientem. Nec secundo remedio metum passio factis est consultum, vel enim potuit Legislator humanus hujusmodi contractus nolle irritare, vel non potuit. Si potuit, luculenter indè sequitur, innocentiaë ex eo præcisè, quod Legislator humanus potestatem irritativam dicatur habere, pro omni eventu satis non esse prospectum, quia si de facto usus esset hæc Licentiâ, teneretur metum passus damnum sufferre, nullâ industriâ suâ declinabile, si non potuit, fatearis, necesse est, quod contractus tales intrinsecè exigant in initio esse irritos: ergò sunt ipso Jure Naturæ irriti, adeoque talem metum comprobare contra bonos mores est. *dict. L. 116. de R. J.* quàm Legem difertè ex Cathedra explanabit

NOBILISSIMUS ET CLARISSIMUS

DOMINUS,

**JOANNES FRIDERICUS
KONHARD,**

LIPSIENSIS,

Natus 31. Martii anno 1694. Patrem habet Nobilissimum & Consultissimum Dominum *JOANNEM HENRICUM KONHARD*, J. U. D. supræmæque Curiaë Provincialis Saxonie Advocatum Ordinarium, Matrem verò, Dominam *BEATAM REGINAM*, natam *OHEIMIANAM*, horum suorum Parentum

rentum singulari curiâ Præceptorum privatæ informationi traditus, sub Dn. M. *Kellnero*, & Dn. M. *Zipfelio*, nunc Rectore Scholæ Paucianæ, nec non sub Dn. M. *Færthefio*, Theologiæ tunc Candidato, nunc Con-Rectore Scholæ Grofenhanianæ tales progressus laudabiles in literarum studiis fecit, ut 2 Maji anno 1712. nomen celeberrimæ Universitatis Lipsiensis matriculæ, sub Rectoratu Dn. *Ubicii Junii*, *Mab. P. P.* dare potuerit. Studia verò Juridica sub D. Dre. *Stigelizio*, cui acquisitam in jure scientiam ex magna parte se debere profitetur, nec non Magnifico Ordinario Dn. *Meckenio*, continuavit, & sub Præsidio Dn. *Hiligeri J. U. D. & P. P.* de eo quod fit in honorem *Matrimonii* & sub Præsidio Dn. Doctoris *Rechenbergii P. P. de Jure Belli & Pacis* cum applausu Disputationes habuit. Tandem nos accessit, & ad consuetum Examen Doctorandorum admitti decenter petiit, admissus, textus ex utroque Jure transmissos doctè ad eò exposuit, & ad quæstiones propositas ita respondit, ut unanimi consensu ad ulteriora, & ad ipsum Gradum Doctoralem admissus sit, proinde proximâ die Mercurii, Lectionem Cursoriam, horis consuetis, & postea Disputationem Inauguralem DE EXCEPTIONIBUS LITIS FINITÆ habebit. Ad quos actus solennes, Magnificus Dn. Rector Dn. Procures & Cives Academici perhumaniter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultat. Jurid. 24. Julii 1718.

(L. S.)



Ertner, Diss., 1718

ULB Halle

004 324 196


3



v. 18

St.








1718, 16

19

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JOANNES PHI-
LIPPUS  Streit/
JCTUS,
CONSILIARIUS REGIMINIS
ELECTORALIS,

B. L. S.

ERFORDIÆ,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,
ACAD. TYPOGR.

